

*tia Cyri sanctissimi, tunc quidem ejusdem Christo amabilis Lazorum provinciae Metropolitanam Sedem tenentis, nunc autem magnam Alexandriam regentis. Prædictus igitur sanctissimus vir, his auditis, ejus Serenitati respondit, nescire subtiliter, utrum Unam, an duas Operationes Christi veri Dei nostri adstruere necesse sit. Ergo per Jussionem ejus pietatis, per Literas proprias interrogavit nos prædictus sanctissimus vir, utrum unam operationem, an duas in Salvatore nostro Christo necesse sit dicere; etsi quosdam noscamus Sanctorum ac Beatissimorum Patrum, Unam dicentes Operationem. Unde nos, quæ nostræ erant scientiæ, per nostra rescripta ei significavimus, dirigentes etiam Sermonem Acclamatorium Mennæ Sanctissimi quondam Patriarchæ hujus a Deo confervoandæ Regiæ Urbis, porrectum ab eo hic presenti Vigilio sanctæ memoriæ prædecessori Sanctitatis vestræ, habentem & diversâ testimonia paterna de Una Operatione & una Voluntate Salvatoris nostri Christi veri Dei nostri. Nihil tamen proprium penitus in hujusmodi nostris rescriptis promulgavimus, sicut suppetit nosse vos sacratissimos & unanimes, relegentes eorum quæ missa sunt exemplaria. Et silentium quidem ex illo tempore hujusmodi suscepit capitulum. Hujus Epistolæ; quam Sergius Patriarcha ad Cyrum Phasidis seu Lazorum Metropolitanum scripsit, meminit S. Maximus Abbas & Martyr in Responsione ad Pyrrhum Patriarcham Sergii successorem pro Sophronio. Aut quando ad Cyrum Phasidis Episcopum rescripsit, de una operatione & duabus ab eo rogatus, misso etiam ad eum libello Mennæ, quem diximus: Ubi tunc erat Sophronius?*

Heraclius Imperator, habito cum Paulo Severiano congressu, Jussionem adversus ipsum promulgavit, quæ inter alia, duplicem in Christo dici operationem prohibebat. Hanc jussionem ad illustriores Episcopos misit, ad Sergium in primis, & Cyrum Phasidis Episcopum, ad Arcadium Archiepiscopum Cypri, & ad alios. Hæsitavit primum Cyrus, his verbis S. Leonis Papæ ad suspendendum inductus assensum: *Operatur utraque forma, cum alterius communione, quod suum est.* Sergii proinde

per